



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæstio 1. Quomodo venit Ioannes in via iustitiæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

ad Deum refert, quod Deo non crederent. At textus indicat, de illo Christo loqui qui venit ad eos in via iustitiæ, cui credere proinde oportebat, cui meretrices & publicani crediderunt. Sequitur quidem inde, nec Deo credidisse, per os Ioannis loquenti, sed ideo Deo non crediderunt, quia nec Ioanni credebant. Credere hoc loco non fiduciam specialem, sed assensum significat, meretrices enim & publicani vera crediderunt, quæ Ioannes prædicavit, ideoque penitentiam habuerunt & regnū cælorū ingressæ, in peccato perseverantibus Pharisæis. De veterū interpretatione dubium nullum est. δεινὸν δὲ inquit Chrysostomus, ὅτι τὸ πᾶσι ἐστὶν ἀκούειν τὸ νόμον θεοῦ, τὸ ἰωάννη πρεσβεύει, ostendit hoc maxime esse obedire legi, Ioanni credere.

VERSUS 33. & sequentes.

Aliam parabolam audite. Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & edificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregre profectus est. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus eius. Et agricolæ apprehensis servis eius alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt.

QVÆSTIO I.

Que vinea similitudo.

S. I. PRIMO quid vineæ suæ præstiterit plantatorē docet, ut est Isaia 5. 1. Vineam plantavit, cum populum ex Aegypto educens in Palaestina collocavit, ut coleret vineam florentem, & omnibus rebus instructissimam dedit. Isaia 60. 21.

Septem circumdedit & ἑξήκοντα vocat Græcus. Syrus ὀπταῖος maceriam vocat. Scilicet pimentum est singulis castodia, Dei præsentia, Angelorum cura, & ministerium, quo Ecclesiam Israeliticam tuebatur, postea septem destruxit. Isaia 5. 5. Psalm. 79. 13.

Fodit etiam torcular, sacrificia, sacramenta, leges & caerimonias dedit. Græcus λυγρὸν appellat, est vero locus sub prælo, quo mustum defluit. Turris tabernaculum est, deinde templum. Nonnulli ipsam metropolim Ierosolimam, arcem regni dici malunt. Coloni, sacerdotes, principes, doctores, iudices, reges. Horum enim munus erat ad cultum Dei gentem instruere, vitia persequi, rem publicam ordinare, Deo fructum disciplinæ reddere, verum inter primos ipsi à Domino descenderunt. His vineam elocavit, & peregre profectus est, vetus habet locum, quod est Ezechiel 34. 2. Deinde misit, ut acciperet fructus, Syrus accipere de fructibus, non enim donavit, non vendidit.

Servi sunt Angeli, Prophetæ, viri pii, qui missi sunt, scribæ & de reddendis fructibus colonos admonuerunt. Excoluerunt & illi vineam, cum ordinarij agricolæ, solliciti, perfidia, rapina, cædibus, omnia perdidit. Prophetarum non erat ordinatio & stabilitas in Ecclesia administratio, sed extra ordinem & subsidaria, ad populi, Magistratum, Sacerdotum mores corrigendos. Magna certe in ea Dei videtur